Q · B · F · F · Q · S

IOANNEI · HAMBVRGENSIS GYMNASIO · REALI

TEMPORIS · QVO · ANTE · HOS · QVINQVAGINTA · ANNOS · A IOANNEO · SEIVNGEBATVR · SVISQVE · AVSPICIIS · IN · DIES LAETIVS · VIGERE · COEPIT · MEMORIAM · A · D · V · KAL · APR · A · CIↃIↃCCCLXXXIV · CELEBRANTI · GRATVLANTVR · FESTI · DIEI SE · ESSE · SOCIOS · SYMBOLA · COLLATA · SIGNIFICANT · LAETISSIMA · QVAEQVE · IN · POSTERVM · AVGVRANTVR · IOANNEI HAMBVRGENSIS · RECTOR · ET · COLLEGAE

HOCHE · KIESSLING · BVBENDEY · BINTZ · SCHRADER · METZ · RAVTENBERG SCHVBERT · F. SCHVLTESS · BROECKER · RINN · ROHDE · IESSEN · FRITSCH LEITHAEVSER · HVEBBE · LVEBECK · GOEPEL · HOPPE · C. SCHVLTESS BORNEMANN · BAVER · LOTTICH · STEINVORTH · BALLHEIMER · BROMIG · IAERISCH NOELKEN · SCHVLTZ · KAEHNE · BRANDT · ZAHN · RITTERS

INEST HERMANNI SCHRADERI QVAESTIONVM PERIPATETICARUM PARTICVLA

Q · B · F · F · Q · S

IOANNEI · HAMBVRGENSIS
GYMNASIO · REALI

TEMPORIS · QVO · ANTE · HOS · QVINQVAGINTA · ANNOS · A IOANNEO · SEIVNGEBATVR · SVISQVE · AVSPICIIS · IN · DIES LAETIVS · VIGERE · COEPIT · MEMORIAM · A · D · V · KAL · APR · A · CIƆIƆCCCLXXXIV · CELEBRANTI · GRATVLANTVR · FESTI · DIEI SE · ESSE · SOCIOS · SYMBOLA · COLLATA · SIGNIFICANT · LAETISSIMA · QVAEQVE · IN · POSTERVM · AVGVRANTVR · IOANNEI HAMBVRGENSIS · RECTOR · ET · COLLEGAE

HOCHE · KIESSLING · BVBENDEY · BINTZ · SCHRADER · METZ · RAVTENBERG SCHVBERT · F. SCHVLTESS · BROECKER · RINN · ROHDE · IESSEN · FRITSCH LEITHAEVSER · HVEBBE · LVEBECK · GOEPEL · HOPPE · C. SCHVLTESS BORNEMANN · BAVER · LOTTICH · STEINVORTH · BALLHEIMER · BROMIG · IAERISCH NOELKEN · SCHVLTZ · KAEHNE · BRANDT · ZAHN · RITTERS

INEST HERMANNI SCHRADERI QVAESTIONVM PERIPATETICARVM PARTICVLA

Peripateticorum ex ipsa summi doctoris disciplina pendentium, quos ab acumine eius singulari doctrinaque, qua res quam maxime inter se diversas complexus ille erat, non degeneravisse aut constat aut pro nominis, quo apud veteres utuntur, splendore consentaneum est, cum paucissimi quidam ad nos pervenerint libelli, tamen et opera eorum, qui dogmata inventa monita philosophorum antiquis temporibus collegerunt et inter se contulerunt, et eximio doctissimorum nostrae aetatis virorum studio effectum est, ut quibusnam in rebus philosophi Stagiritae decreta confirmata deinceps vel immutata, res ab eo traditae vel novis exemplis additis auctae vel in dubium vocatae fuerint quadam tenus iudicari possit. Ita cum in dialecticis physicis ethicis seges provenerit. qua colenda nonnihil in dies proficimus, aliis quibusdam in rebus, quibus haud minus quam in illis summum Aristotelis ingenium enituit, quid discipuli e praeceptis eius sumpserint, quidve addiderint iis aut detraxerint, quia longe minora antiquitus nobis sunt tradita, densa pressum iacet caligine.

Velut quicumque in rebus ad poetas Graecorum scriptoresque pertinentibus vel in legibus illis, ad quas carmina exigenda sint, cognoscendis operam collocavimus, aegre ferimus, ex iis quos Aristotelis illi discipuli de iis rebus scripserint libris praeter paucissima quaedam atque exilia fragmenta nihil ad nos pervenisse. Et scripsere — ut Heraclidem Ponticum mittam, quamvis neque post Ungeri commentationem (Mus. Rhen. XXXVIII, p. 481 sqq.) ex Aristotelis scholis multa eum hausisse negaverim — *περὶ ποιητικῆς* Theophrastus, *περὶ ποιητῶν* Phanias Eresius, *περὶ τραγῳδοποιῶν* Aristoxenus Tarentinus; scripsit de Alcaeo Dicaearchus Messenius, idem *περὶ μουσικῶν* et *περὶ Διονυσιακῶν ἀγώνων*, idem *ὑποθέσεις τῶν Εὐριπίδου καὶ Σοφοκλέους μύθων*, egit et de Homeri Iliade Aeschylo Anacreonte Pindaro aliis poetis et de comoedia Chamaeleon Heracleota, quem non esse cur ab ipsa Aristotelis consuetudine cum Ungero divellamus alio loco docebimus; scripsit de griphis Clearchus Solensis, *περὶ τοῦ γελοίου* Theophrastus, idem de comoedia. Megaclides, qui de Homero scripsit, num inter ipsius Aristotelis discipulos numerandus sit non constat.

Tot tantorum virorum libris deperditis qualem iacturam fecerimus — quantum enim lucis, ut exemplo utar, Theophrasti ars poetica libro Aristotelio afferre poterat —,

qui aestimaverit, quam maxime operam ei rei navandam esse fatebitur, ut quaecumque e libris quos commemoravimus adsint fragmenta quamvis pusilla cum pulvisculo, ut ita dicam, excutiantur et cum rebus quae aliunde constent quam diligentissime comparentur, ut et de rebus litterarum historiam spectantibus et de condicione quae discipulis illis cum scholae principe intercesserit si quid novi investigari possit experiamur.

Quod si Dicaearchum, Peripateticum, ut Ciceronis utar verbis, *„magnum et copiosum“* (Off. II, 5, 16), *ὑποθέσεις τινὰς τῶν Εὐριπίδου καὶ Σοφοκλέους μύθων* scripsisse a Sexto Empirico accepimus (adv. math. III, 3; p. 310 F.), neque desunt in utriusque poetae codicibus quibus nunc utimur pauca quaedam argumentorum eorum vestigia, quibus alia quaedam Dicaearchea ut ex eodem libro hausta docti homines adiunxerunt, quaestio nobis se obtulit, utrum in poetis scaenicis tractandis a doctoris via ac ratione acutissima, quae gravissima quaeque circumspiceret, ad posterae aetatis, Alexandrinorum dico, quibus poetarum *ὑποθέσεις*, quales nunc in codicibus adsunt, deberi constat, ille deflexerit, an alterius cuiusdam *ὑποθέσεων* generis, quod quale fuerit nondum satis exploratum sit, auctor exstiterit.

Quam quaestionem prae aliis quibusdam, quae de Peripateticorum studiis his in rebus collocatis se offerunt, dignam esse quae solvatur vel inde intellegitur, quod mirum quantum hominum doctorum de libro Dicaearchi a Sexto allato adhuc fluctuant iudicia. Nam ut eos mittam, si qui cum Reinesio (Observat. in Suid.; cf. Naeke, opusc. I, p. 337) non Messenium Dicaearchum, sed Lacedaemonium illum grammaticum ab uno Suida commemoratum, qui an numquam fuerit recte dubitatur [1]), a Sexto afferri existimavere, pro titulo libri, quem *ὑποθέσεις τῶν Εὐριπίδου καὶ Σοφοκλέους μύθων* fuisse Sextus ait, hypotheses dramatum eorum poetarum venditaverunt Jonsius, script. hist. phil. I, 16, et Fabricius (in annot. ad locum Sextianum; cf. B. G. II, p. 295 Harl.); Maximil. autem Fuhr (Dicaearchi Messenii quae supersunt, Darmst. 1841), quamquam cautior illis in nomine constituendo non peccavit (p. 48, cf. tamen p. 70, 60), didascalica quaedam e Dicaearcho ad Aristophanem et Sophoclem a grammaticis allata ex iisdem hypothesesi repetere non dubitavit. Quid, quod C. F. Müller (in fragm. hist. Graec. II, p. 227. 247), cui sive Welcker, trag. Gr. I, p. 94, sive Fuhr (p. 48; 66, 53) viam quasi monstrasse videntur, librum quendam maioris ambitus, *διδασκαλίας* vel *de poetis dramaticis* inscribendum, scripsisse Dicaearchum coniecit, quo et hypotheses illae et libellus de Aristophane eiusque fabulis agens, quo eum ditavit, continerentur. Temere ille quidem, veri tamen similius quam ii, qui argumenta illa in libri *περὶ μουσικῶν ἀγώνων* capite de Bacchicis certaminibus agente infuisse, quem librum partem fuisse constituerant clarissimi operis *Βίος Ἑλλάδος* inscripti, sibi persuaserant, Aug. Buttmann

---

[1]) Cf. Osann, Beitr. z. gr. u. röm. Litt. Gesch., II, p. 117.

(de Dicaearch. eiusque oper., p. 38. 39), Naeke, p. 324 sqq., Westermann ad Voss. de Histor. Graec., p. 82, 49, merito ab Osanno (Allgem. Schulzeit. 1833, II, p. 1106), post ab aliis, velut Fuhrio, p. 66, 53, Iul. Richtero (de Aesch., Soph., Eurip. interpret. Gr., p. 47), Schneidewino (de hypothesesi trag. Graec. Aristophani Byzant. vindicandis, Commentat. soc. litt. Gotting. VI, p. 39) explosi; quorum e numero ipse Schneidewin artissimis finibus argumenta illa circumscripsit; similia enim fuisse contendit (p. 13) *κεφαλαίοις* illis Euripidis, quae eiusdem aetatis philosophum quendam scripsisse ex Antiphane constat.

Neque tamen desperandum est, verum posse inveniri, dummodo via ac ratione procedatur neque verborum quaedam, quibus his temporibus assuevimus, notiones pro fundamentis habeantur, in quibus cetera quacumque ratione sint inaedificanda. Unum contra atque certissimum fundamentum verbis Sexti Empirici gravissimi auctoris et eruditissimi ad amussim exigendis — cui rei nemo adhuc operam dedit — iaciendum est.

Dicit autem Sextus eo, quo de tribus verbi *ὑπόθεσις* notionibus agit, loco (adv. math. III, 3; p. 310 F.) — digna enim sunt verba quae integra adscribamus —: *τάξεως δὲ ἕνεκα προληπτέον ὅτι πολλαχῶς μὲν καὶ ἄλλως ὑπόθεσις προσαγορεύεται, τὰ νῦν δὲ ἀπαρκέσει τριχῶς λέγεσθαι, καθ' ἕνα μὲν τρόπον ἡ δραματικὴ περιπέτεια, καθ' ὃ καὶ τραγικὴν καὶ κωμικὴν ὑπόθεσιν εἶναι λέγομεν καὶ Δικαιάρχου τινὰς ὑποθέσεις τῶν Εὐριπίδου καὶ Σοφοκλέους μύθων, οὐκ ἄλλο τι καλοῦντες ὑπόθεσιν ἢ τὴν τοῦ δράματος περιπέτειαν. καθ' ἕτερον δὲ σημαινόμενον ὑπόθεσις προσαγορεύεται ἐν ῥητορικῇ ἡ τῶν ἐπὶ μέρους ζήτησις, καθὸ καὶ οἱ σοφισταὶ πολλάκις εἰώθασιν ἐν ταῖς διατριβαῖς λέγειν θετέον ὑπόθεσιν. οὐ μὴν ἀλλὰ καὶ κατὰ τρίτην ἐπιβολὴν ὑπόθεσιν καλοῦμεν ἀρχὴν ἀποδείξεων, αἴτησιν οὖσαν πράγματος εἰς κατασκευήν τινος.* Quae ut omni ex parte recte percipiantur, comparare iuvat ea, quae statim (cap. 6; p. 311) collectionis loco addit: *ἀλλὰ γὰρ τοσαυταχῶς νοουμένης τὰ νῦν τῆς ὑποθέσεως, πρόκειται τὰ νῦν ζητεῖν οὐ μὰ Δία περὶ τῆς δραματικῆς διατάξεως οὐδὲ περὶ τῆς παρὰ τοῖς ῥήτορσι ζητήσεως, ἀλλὰ περὶ τῆς ἐν τέλει λεχθείσης ὑποθέσεως, ἣν ἀρχὴν ἀποδείξεως συμβέβηκεν εἶναι.*

Bene igitur factum est, quod, ut quonam sensu Dicaearchi *ὑποθέσεις τῶν Εὐριπίδου καὶ Σοφοκλέους μύθων* Sextus acceperit intellegatur, duae praesto sunt interpretationes, quibus coniunctis nonnihil assequi possimus. Nam secundum eam quam utroque loco proponit h. v. notionem, eundem librum Dicaearcheum *τῶν Εὐριπίδου καὶ Σοφοκλέους μύθων* vel *δραματικὰς περιπετείας* vel *δραματικὰς διατάξεις* vocare ei licuit. Quibus de definitionibus qui recte iudicare volet, ei ab v. *περιπέτεια* notione, qua in libello *περὶ ποιητικῆς* Aristoteles utitur, ut sit *ἡ εἰς τὸ ἐναντίον τῶν πραττομένων μεταβολή* (cap. 11; p. 1452 *a* 22), discedendum et ad posterae aetatis scriptorum usum confugiendum

est [1]). Etenim cum apud ipsum Aristotelem, id quod Ioann. Vahlen docuit (Commentat. Acad. Vindobon., cl. hist. phil., LII, p. 94), locis quibusdam sensu latiore paullo, ut sit res praeter omnium exspectationem accidens [2]), occurrat, posteri ad omnem rem graviorem vel inusitatam designandam adhibent, ut Nicandrum quendam librum *Περιπετείας* inscriptum edidisse accepimus (Ath. XIII, p. 606 B); quid, quod non desunt loci, quibus illud ipsum, momentum quoddam fuisse rei quae περιπέτεια dicitur, non appareat, sed περιπετείας cum dicis idem fere sit atque res gestas si dicas [3]). An cum Strabo (I, p. 20 C.) de Homero: *ταῖς ἀληθέσι,* inquit, *περιπετείαις προσεπετίθει μῦθον, ἡδύνων καὶ κοσμῶν τὴν φράσιν, πρὸς δὲ τὸ αὐτὸ τέλος τοῦ ἱστορικοῦ καὶ τοῦ τὰ ὄντα λέγοντος βλέπων,* veras περιπετείας (recte „*vera eventa*“ vetus interpres) illas aliud quid significare voluit atque ea quae τὰ ὄντα dixit?

Sed δραματικὴ περιπέτεια non est ipsa res a diis vel heroibus gesta, quae fabulis poetarum scaenicis materiam suppeditavit; neque enim hanc v. ὑπόθεσις notionem, qua, ut unum multorum instar exemplum afferam, Dio Chrys. LII, p. 266 R., usus est, Sextus ab ea disiunxisset, quam secundo loco posuit, ut rem significaret de qua in iudicio vel in deliberationibus ageretur (sic enim accipiendam esse τὴν τῶν ἐπὶ μέρους ζήτησιν vel Quint., Inst or. III, 5, docet). Quid rei sit ea, quam altero loco explicandi causa affert, *διατάξει δραματικῇ,* clarissima in luce posuit: esse *περιπέτειαν δραματικὴν* rem antiquitus traditam, qualem, cum plurima ita constent, ut ab iis discedi non possit, poëta de suo ingenio vel suum secutus auctorem disposuerit mutaverit exornaverit, ut scaenicae fabulae numeros expleret, vel, ut quam brevissime comprehendam, rem qualis in scaena agatur.

Hanc igitur περιπετείας s. διατάξεως δραματικῆς notionem cum in v. ὑπόθεσις inesse [4]) dicat Sextus, non solum cur ab oratorum rhetorumque ὑποθέσεσιν eam seiunxerit, sed etiam, quod multo gravius, quales Dicaearchi fuisse ὑποθέσεις significaverit, apparet [5]). Unde qui proficiscetur neque in eorum quae nunc in codicibus leguntur argumentorum specie haerebit, ei dubium non erit, quin ὑποθέσεις illae τῶν Εὐριπίδου καὶ Σοφοκλέους

---

[1]) Quem h. v. usum non respexit J. Richter, l. c., p. 47.

[2]) Velut Diod. III, 57 verba: τοὺς δ' ὄχλους θαυμάσαντας τὴν περιπέτειαν recte latine versa sunt: „*populus autem prodigium hoc admiratus..*“

[3]) Ut Polyb. II, 56, 13 de historia: τὰς πλείστας ἡμῖν ἐξηγεῖται τῶν περιπετειῶν, οὐχ ὑποτιθεὶς αἰτίαν καὶ τρόπον τοῖς γιγνομένοις, vel Strab. I, p. 19: πλάσματα τοιαύτην τινὰ περιπέτειαν ὑποσημαίνοντα μυθώδη, cf. id. II, p. 100: τίς γὰρ ἡ πιθανότης πρῶτον μὲν τῆς κατὰ τὸν Ἰνδὸν περιπετείας;

[4]) Eiusdem definitionis vestigium apud Hesychium v. περιπέτεια· ὑπόθεσις, σύμπτωσις, σύμβασις.

[5]) Κωμικὴ igitur et τραγικὴ ὑπόθεσις apud Sextum non sunt res comoediae aut tragoediae convenientes, sed fabula antiquitus tradita, velut plurimae illae quae de Hercule ferebantur, secundum aut comoediae aut tragoediae leges conformata.

μύθων id egerint, ut quanam ratione uterque poeta fabulas antiquitus traditas disposuisset et in singulis rebus, quas vel immutaverat vel exornandi causa addiderat, pertractavisset docerent.

Res dignissima profecto Aristotelis discipulo. Nam quamvis breves singularum fabularum ὑποθέσεις eum exposuisse existimes (quamquam aliter posse iudicari statim apparebit), studio illi in fabulis scaenicis diligenter examinandis collocando quam deditus ipse scholae ἀρχηγέτης fuerit, vel caput libri quem de arte poetica condidit septimum decimum luculentissime demonstrat. Quid, quod Heraclides Ponticus, quem neque post Ungeri acutam disputationem (Mus. Rhen. XXXVIII, p. 481 sqq.) ab Aristotelis institutione divellendum esse alio loco docebo, simillima atque Dicaearchus in re operam collocavit; rectissime enim versus Antiphanis ab Athenaeo (IV, p. 134 B) servati:

οὐχ ὁρᾷς ὀρχούμενον
ταῖς χερσὶ τὸν βάκηλον; οὐδ' αἰσχύνεται
ὁ τὸν Ἡράκλειτον πᾶσιν ἐξηγούμενος,
ὁ τὴν Θεοδέκτου μόνος ἀνευρηκὼς τέχνην,
ὁ τὰ κεφάλαια συγγράφων Εὐριπίδῃ,

post Ad. Trendelenburgium ad Heraclidem [1]) a Schneidewino referuntur (Commentat. soc. litt. Gotting., VI, p. 13), qui ut recte perspexit pro Εὐριπίδῃ, quod codices exhibent, legendum esse Εὐριπίδου, ita inter κεφάλαια illa et ὑποθέσεις a Sexto commemoratas paullo accuratius distinguere debebat.

Sed, ut ad Dicaearchum revertat disputatio, cum accedat quod opera, quam Sophoclis et Euripidis arti scaenicae eum impendisse verbis Sextianis diligenter examinatis effecimus, Plutarchi (non posse suav. viv. c. 12, p. 1095 A) testimonio, scripsisse περὶ Ὁμήρου καὶ περὶ Εὐριπίδου Aristotelem, Heraclidem, Dicaearchum [2]), confirmetur, nihil causae est, cur ὑποθέσεις illae cum superiorum temporum hominibus doctis ad alterum quendam Dicaearchum referantur (v. spr. p. 4), vel adeo, id quod Fuhrio in mentem venerat (p. 70, 59), pro Δικαιάρχου τινὰς apud Sextum Δ. τινὸς ὑποθέσεις τῶν Εὐρ. καὶ Σοφ. μύθων legatur [3]).

---

[1]) Affert inter Heracliti ἐξηγητὰς Heraclidem Ponticum Diog. L. IX, 15; qui Heraclides si de Theodectis in arte poetica praestantia egit, vel hac in re Aristotelem secutus est; dubitari igitur nequit, quin rectissime idem Diogenes (V, 88) tres libros περὶ τῶν παρ' Εὐριπίδῃ καὶ Σοφοκλεῖ, quos significare Antiphanes videtur, eidem tribuerit. Tantum h. l. contra Ungerum, qui Heracliti ἐξήγησιν ad Ponticum retulit, libros περὶ τῶν παρ' Εὐρ. κτλ. ab eo abiudicavit, dico.

[2]) Obiter moneo, fragmentum, quod apud Müllerum (fr. hist. Gr. II, p. 246) Dicaearchi est XL, Fuhrium iam docuisse (p. 69, 58) incertum esse e quonam libro fluxerit.

[3]) Rectissime docti homines (Fuhr, p. 69, 59; Müller, p. 247; Welcker, trag. Gr. I, p. 94; Schneidewin, p. 36) statuerunt, *„peculiare quoddam genus doctae scriptionis, neque ubique notum"* v τινάς designari.

Sed ultra progrediendum est; investigari enim possunt, quibus et certius paullo de Dicaearchi libri consilio et de sententiis quibusdam de eo prolatis iudicium tibi conformes. Ac primum quidem non probandi sunt, si qui praeter eas, quas totiens nominavimus, Euripidis et Sophoclis Aeschyli quoque (ut Iul. Richter, de Aesch., Soph., Eurip. interpret. Gr., p. 48) vel Aristophanis adeo (v. p. 4) fabularum hypotheses ab eo scriptas fuisse contenderunt. Aeschylum non moror, quamquam ne tantilla quidem causa adest, cur, si modo similem ei operam Dicaearchus navaverat, Sextum eam neglexisse dicamus. Sed Aristophanem excipi iubeo; nam cum Dicaearchi — ut alia quaedam eum addidisse nunc quidem largiar — primarium certe consilium esset, ut poëtae quanam ratione fabulas antiquitus traditas ad artis suae praecepta disposuissent, doceret (hypotheses enim scripsit *τῶν Εὐριπίδου καὶ Σοφοκλέους μύθων*), non habebat profecto cur in Aristophanis comoediis, quippe quae fundamento in vetustis fabulis posito pleraeque carerent (cf. p. 6, 5), eandem operam collocaret. Rectissime igitur ii, qui quae de Philetaero Aristophanis filio et de Ranis Aristophanea iterum in scaenam commissa e Dicaearcho afferuntur (fr. 41. 42 apud Müllerum, qui perperam ad commentarium illum, quem sibi finxerat, *περὶ Ἀριστοφάνους* retulit), e libro *περὶ Διονυσιακῶν ἀγώνων* repetiverunt, Meinekeum dico (hist. com., p. 8) et Nauckium (Ar. Byz. fr., p. 254).

His autem similia — ut iam eo transeamus, ut quasnam praeter *τὴν δραματικὴν περιπέτειαν* s. *διάταξιν* res in argumentis Dicaearchus tractaverit quaeramus — cum de Sophocle Dicaearchi nomine apposito afferantur (ternos ab eo primo actores in scaenam fuisse productos; Oedipode Rege commissa Philocli eum succubuisse, v. fr. 37. 39 Müll.), ne haec quidem est, cur ut ab rebus illis Aristophanem spectantibus seiungenda Certaminibus Bacchicis assignare dubitemus; hypotheseon certe libro ut cum Fuhrio tribuamus causa non adest. Nam quod in argumento Aiacis Sophocleae legimus: *Δικαίαρχος δὲ Αἴαντος θάνατον ἐπιγράφει* — quae sequuntur: *ἐν δὲ ταῖς διδασκαλίαις ψιλῶς Αἴας ἐπιγέγραπται*, cuinam debeantur non constat —, ita comparatum esse apparet, ut cuivis argumentorum generi, dummodo titulos dramatum in iis fuisse allatos concedas, conveniat.

At tantum abest, ut in hypothesibus suis in rebus artem poetarum fabularumque dispositionem spectantibus enarrandis acquieverit Dicaearchus, ut contra ne a critica quidem factitanda neque a codicibus inspiciendis alienus esset; ita ut non sit, cur didascalica quaedam ibidem protulisse eum neges! Ego quidem non nego, ex argumento Rheso fabulae in codicibus praemisso ita concludere posse vel debere, qui cum Kirchhoffio verba ita constituant, ut omnia, quae post illa *ὁ γοῦν Δικαίαρχος* [1]) *ἐκτιθεὶς τὴν ὑπόθεσιν τοῦ*

---

[1]) Optime ita Nauckium (Ar. Byz., p. 254) pro *δικαίαν*, quod codices exhibent, coniecisse, nunc omnes concedunt; servato enim *δικαίαν* illo qui *γράφεται* pro *γράφει* scribere mallet, nihil ageret; neque enim *γράφεται* illud (*ἔχει* debebat esse), neque *τὴν ὑπόθεσιν τοῦ Ῥήσου* (pro simplici *τὴν ὑπόθεσιν*) ferri poterat.

Ῥήσου γράφει κατὰ λέξιν οὕτως sequantur, inde a versu *νῦν εὐσέληνον φέγγος ἡ διφρήλατος* usque ad ultimum alterius qui ibi affertur prologi versum *(Πριάμου, βίᾳ πρόρριζον ἐκτετριμμένην)*. e Dicaearcho derivata esse censeant. Sed erravisse Kirchhoffium recteque Nauckium, Ar. Byz., p. 254, et Val. Roseum, Ar. ps., p. 556, Dicaearchea non ultra ipsum illum versum *νῦν εὐσέληνον φέγγος ἡ διφρήλατος* extendisse, pauca quaedam reputantibus apparebit. Ac primum quidem, si verba in editione Kirchhoffiana recte distincta sunt, ad commentarii cuiusdam instar Rhesi hypothesin Dicaearchus conformavisse existimandus est, ita ut versu *νῦν εὐσέληνον κτλ.* in lemmate quasi posito ea quae sequuntur adderet, quod vix quisquam — ne ex eorum quidem numero, qui didascalica et historica quam plurima in argumentis eius infuisse existimant — concesserit. Adde quod ipsum illud eiusdem fabulae, neque admodum ceteris praestantis, exemplorum inter se conferendorum negotium, ut grammatici est bibliothecarum in umbra copias congestas depascentis, ita in quarti vel tertii a. Chr. n. saeculi hominem Peripateticum a luce forensi non alienum et gravioribus rebus explorandis intentum — ut copiam librorum satis amplam ei suppeditavisse largiamur — minime cadit. Qua cum re artissime cohaeret, quod ipsum illud v. *ἀντίγραφον*, quod in Rhesi argumento legitur, et temporibus grammaticis Alexandrinis superioribus raro occurrit, et, ubi legitur, non, ut illorum et ea quae secuta eos est aetate, de quolibet antiquioris cuiusdam libri exemplo, sed — ut in inscriptione C. I. A. I, p. 433 (anni a. Chr. n. 407), de qua videndus Gardthausen, Pal. Gr., p. 25, et apud oratores Atticos (cf. Poll. VIII, 27) — ita adhibetur, ut libro vel scripto cuilibet ab auctoris manu exarato opponatur [1]). Neque, ut tertio loco alterum proferam argumentum e verborum usu petitum, ea v. *πεζός* notio, quae ieiuna significat et poetarum afflatu divino indigna *(πρόλογος πεζὸς πάνυ καὶ οὐ πρέπων Εὐριπίδῃ)*, qua notione inde ab Alexandrinorum temporibus (velut schol. A *B* 252, cf. Lucian., conscr. hist. c. 8. 16) adhibebatur, exemplis e Dicaearchi aetate petitis probari potest. Nam quae a schol. Eur. Alc. 446 ad verba *ἐν τ' ἀλύροις ὕμνοις* explicanda afferuntur Sophoclea (fr. 15 D.): *καὶ πεζὰ καὶ φορμικτά,* et, quae vulgari loquendi rationi debentur, *πεζαὶ ἑταῖραι (αἳ χωρὶς ὀργάνου εἰς τὰ συμπόσια φοιτῶσι)* quia cantu vel arte canendi carent ita audiunt.

Quae cum ita sint, in Rhesi argumento omnia eo ducunt, ut, verbis Dicaearchi cum Nauckio et Roseo uno illo versu *νῦν εὐσέληνον φέγγος ἡ διφρήλατος* terminatis, ea quae sequuntur grammatico Alexandrino, qui librum eius in usum suum converterit, tribuamus, quem qui Aristophanem fuisse Byzantium dicet a vero vix aberrabit. Male autem factum

---

[1]) Ut *ἀντίγραφος* adiectivum apud Lucianum, Zeux. cap. 3: *τῆς εἰκόνος ταύτης ἀντίγραφός ἐστι νῦν Ἀθήνησι, πρὸς ἐκείνην ἀκριβεῖ τῇ στάθμῃ μετενηνεγμένη· τὸ ἀρχέτυπον δ' αὐτὸ Σύλλας ..... ἐλέγετο εἰς Ἰταλίαν ..... πεπομφέναι.*

est, quod, cum e prologo, quem de Rhesi fabulae διατάξει δραματικῇ agens Dicaearchus ipsis poetae verbis servatis („γράφει κατὰ λέξιν") attulerat, transcribentium socordia unus ad nostra tempora versus pervenerit, alter prologus ab Aristophane, ut videtur, allatus meliore, quo haudquaquam dignus erat, fato usus est.

Vidimus, non esse, cur in Sophoclis et Euripidis fabularum hypothesibus praeter artem poetarum rerumque ab iis dispositarum vel mutatarum rationem aliis rebus investigandis eundem Dicaearchum operam impendisse statuamus; cui sententiae qui accedet, idem cur non Aristophane, quippe cuius argumentis multo plura continerentur, sed Dicaearcho ad v. ὑπόθεσις notionem, quam primo loco posuit, illustrandam Sextus usus sit, intelleget. Ipsum autem Dicaearchum consilium suum non summatim sed integris dramatum locis appositis exsecutum esse, ex eodem Rhesi argumento sequitur; neque enim dubito, quin Val. Rose nimis angustis finibus hypotheses eius circumscripserit, cum initia fabularum ab eo fuisse allata contenderet. Glaucus certe, Reginus ut conicere in promptu est, in libro, quem περὶ Αἰσχύλου μύθων scripsit — quamquam de ratione eius, quatenus cum Dicaearcho congruerit, non constat — eo progressus est, ut aliorum etiam poetarum, velut Phrynichi, versus, quibuscum comparatio institueretur, apponeret.

Iam optandum erat, ut certa Dicaearchi doctrinae et acuminis vestigia aut in Sophoclis Euripidisque fabularum, quibus nos utimur, argumentis aut apud rerum fabularium scriptores deprehenderentur. Quae vix adsunt: ex Aiacis enim Sophocleae argumento nihil effici posse supra significavimus (p. 8); Euripidis Medeae quod etiam in Kirchhoffii altera editione praemissum est Δικαιάρχου codicum auctoritate carere nunc e Prinzii editione patet; Alcestidis autem argumentum, quamvis nimius fuerit Val. Rose cum Dicaearchi nomine temere inscriptum esse contendit, tantum abesse videtur ut ipsum Dicaearchum repraesentet, ut a grammatico aliquo aetate inferiore in formam illam brevissimam redactum esse dicas. Tamen vel sic, quoniam didascalica, quae in altero eius fabulae argumento, ad Aristophanem relato, adsunt, non habet, ea quae de Dicaearchi agendi ratione effecimus eo fulciuntur. In reliquarum autem fabularum argumentis ut Dicaearchea latere veri simile est — de Hippolyti argumento Schneidewin, p. 20: *„enarratio argumenti uberior quam pro Aristophane";* cf. eundem, p. 24, de Andromaches hypothesi; adde prius Orestis argumentum —, ita, cum a grammaticis vel in epitomen redacta vel additamentis aucta esse videantur, certa ratione a ceteris secerni non possunt.

Sed certiora et graviora simul ex iis quae effecimus in litterarum et philosophiae historiam redundant. Etenim cum de curis a Peripateticis, qui post Aristotelem fuerunt, poëtis scaenicis impensis exigua nobis tradita sint, pauciora ad nos pervenerint fragmenta eaque de externis quibusdam rebus fabulas eorum spectantibus agentia, iam nobis contigit, ut de via et ratione iudicare possimus, qua unus ex iis usus quid poëtae illi con-

secuti essent examinaverit. Cui rei proximum est id, quod altero loco commemorandum est, quo unde exordium haec disputatio cepit eo recurret. Vidimus enim, studia in legibus quibus ars poetica adstricta est cognoscendis posita, quas leges nunc quidem „aesthetices“ finibus comprehendimus, post Aristotelem in Lyceo non evanuisse, sed fuisse inter discipulos, qui doctorem secuti in poetarum scaenicorum arte cognoscenda operam collocarent; qua in re Dicaearchum Hieronymus secutus esse videtur Rhodius, ut e fragmento libri *περὶ τραγῳδοποιῶν* a Suida (v. *Ἀναγυράσιος*. fr. IV Hiller.) servato effeceris.

Quod scholae nobis coniunctissimae festo die, quem auspicato celebramus, hanc potissimum symbolam damus, Vos, Collegae ornatissimi, non mirabimini. Nam ex omni antiqua memoria paucos praeter Peripateticos inveneritis tanta tam copiosa doctrina instructos, ut omnes, quicumque ingenuis studiis vacamus, sibi quisque quod in usum suum conferat inde sumamus. Atque ut Aristoteles omnium, sive antiquis litteris et historiae sive rerum naturae et physicis cognoscendis plus operae impendimus, ut exemplar quoddam omnibus numeris absolutum ante oculos obversari debet, quod aequare possit nemo, ita quae duce illo et auspice discipuli suo quisque loco pro ingenio et viribus variis in rebus elaboraverant, cum quantum hac via effici possit clarissime demonstraverint, mirum quantum ut ad similia tendamus cohortantur. Quo quid pulchrius aut fructuosius omnibus, quibus iuventutis instituendae cura mandata est, propositum esse potest? Sic Vobis quae paravistis bona ut gratulamur, ita parta ut tueamini semper et augeatis etiam atque etiam optamus. Valete.

Ex officina Amplissimi Senatus et Ioannei Meissneriana.